

P. VERGILI MARONIS

- ante sinistra caua monuisset ab ilice cornix, 15  
nec tuus hic Moeris nec uiueret ipse Menalcas.
- L.* Heu, cadit in quemquam tantum scelus? heu, tua nobis  
paene simul tecum solacia rapta, Menalca!  
quis caneret Nymphas? quis humum florentibus herbis  
spargeret aut uiridi fontis induceret umbra? 20  
vel quae sublegi tacitus tibi carmina nuper,  
cum te ad delicias ferres Amaryllida nostras?  
‘Tityre, dum redeo (brevis est uia), pasce capellas,  
et potum pastas age, Tityre, et inter agendum  
occursare capro (cornu ferit ille) caueto.’ 25
- M.* Immo haec, quae Varo necdum perfecta canebat:  
‘Vare, tuum nomen, superet modo Mantua nobis,  
Mantua uae miserae nimium uicina Cremonae,  
cantantes sublime ferent ad sidera cycni.’
- L.* Sic tua Cyrneas fugiant examina taxos, 30  
sic cytiso pastae distendant ubera uaccae,  
incipere, si quid habes. et me fecere poetam  
Pierides, sunt et mihi carmina, me quoque dicunt  
uatem pastores; sed non ego credulus illis.  
nam neque adhuc Vario uideor nec dicere Cinna 35  
digna, sed argutos inter strepere anser olores.
- M.* Id quidem ago et tacitus, Lycida, mecum ipse uoluto,  
si ualeam meminisse; neque est ignobile carmen.  
‘huc ades, o Galatea; quis est nam ludus in undis?  
hic uer purpureum, uarios hic flumina circum 40  
fundit humus flores, hic candida populus antro  
imminet et lentae texunt umbracula uites.  
huc ades; insani feriant sine litora fluctus.’
- L.* Quid, quae te pura solum sub nocte canentem  
audieram? numeros memini, si uerba tenerem: 45